ARMANDI

CARDINALIS PLESSISII RICHELII ET FRONSACI DVCIS

PARIS FRANCIÆ,
Aremoricæ Proregis, ſanctioris concilij Præſidis,& vtriuſq; Gallicani Maris Thalaſsiarchi.

IMAGO

Vitam, & geſta ter-maximi Cardinalis complectens.

AB ANDREA TAVRELLO I.C.
DIVIONENSI
Publico Bononiæ Profeſſore,

In Academico GELATORVM conſeſſu Publicè Explicata

CIↃ IↃC XLIII.

BONONIAE, Typis Nicolai Tebaldini. Superiorum Permiſſu.

EMINENTISSIMO, & Reuerendissimo Principi ALOYSIO CARD. CAPONIO RAVENNÆ ARCHIEPISCOPO.

Andreas Taurellus I. C. Felic.

EMINENTISS. PRINCEPS

IMAGINEM heic habes vnius inter Optimates Reipub. Christianæ Purpuratos, cui sapientia suum donauit annulum, vt optimus è multis in aula maximi Regum LVDOVICI IVSTI designaretur. complures ex illa Francorum patricia gente censere licet hodie, quorum singulos à virtute Reges putares; nec enim vnquam Gallia tanto clarorum virorum prouentu floruit. vbi tamen de optimo quæsitum est, vnus annulum habere meruit ab Alexandro Gallico Armandus. nõ errauit in calculo Regum

prudẽtiſsimus LVDOVICVS, vt neminem præſentium vidit in imperij ſui naturam altiùs illo penetraſſe. in hac quippe Herois imagine, quam ad viuum delineare ſtuduimus, facinora contemplabere, quorum ſingula poſteris ſtuporem dabunt; cùm vix à noſtris, vt ſupra nos, & ſolo ſapientum ſuffragio probata, capiantur. Nec ego illo fulgore occæcatus eorum majeſtatem capiebam, niſi me ad te (Princeps optime) vt ad conſortem purpuræ conuertiſſem, in quo velut in ſpeculo omnes illas virtutes heroicas eminenter ſuſpicerem. Si pietatem, quæ nos cum Deo proximè conjungit in **ARMANDO** cõmendauimus; hæc ipſa tuis etiam eſt animi dotibus, vti Terebynthus, quæ te inter Mortales in ſuauiſsimi odoris holocauſtum Deo viuo cum Cœlitibus ardere facit. indefeſſo ſtudio ſacrorũ vacare curis, & omnia ſantiſsimi Paſtoris obire munia, ſunt eius, quę de te ſine jactantia circumferùntur attributa. majora tamen abſque veritatis diſpendio in te præſens æuum recognoſcit, & admiratur; quæ ſale ęternitatis aſperſa internuncijs Muſis ad poſteros incorrupta peruenient. tuum

eſt.

est à temetipso seueram in dies incorruptæ vitæ rationem exigere, & humanis miserijs beneficentiæ sinum explicare tuum est egenorum multitudinem cottidianis exhilarare pascuis,& religiosis rei familiaris inopia squallentibus liberali profusione subuenire. tuum est sanctimonialibus dotes, & alimenta distribuere;templa restaurare; collapsas nobilium familias ære proprio sustinere; & hæc vna tibi duntaxat virtus ouili pauore vago securitatis fiduciam de Cœlo impetrauit; cùm nouissimè Rauēnam vidimus, vndique tota aluo Neptunum admittētem,breuiq vt sæuientis elementi ludibriū perituram. DI superi! nū tu pijssime Antistes vnus intrepidè per inundantes fluctus, media nocte Christi Saluatoris corpus ex altari ruinæ proximo in sacellum palatij transtulisti?num tu monialibus,& religiosis,totique multitudini, vt in arentia pascua,non è stillicidio guttam, sed plenis munificentiæ canalibus depluisti? Si sapientiam Armandi,quæ inter Gallos sine exemplo est,Orbi sumus attestati; tuam liceat etiā inter Italos in exemplum gentis posteris transmittere, qua verè discant æterna

illa duo de Cœlo nata,& bonum esse,& scire. quis enim te de tot purpuratis Vaticani Senatus patribus in Theologicis profundior est? quis in philosophicis subtilior; in juridicis integrior; in politicis prudentior; in linguis demum Hebræis, Græcis, & Latinis peritior? Si Iustitiam eiusdem celebrauimus; cuius hodie laureato nexu tota Gallia in vnionem, & amicam concordiam coalescit. Te Roma juuenem sub Leone XI. ad tribunalia, & ærarij præfecturam excepit. te prouectiorē Bononia sub Paulo V. dignitatis Cardinalitiæ auctore, legationibus repetitis singulariter approbauit te. modò suum Rauenna Archipræsulem à Gregorio XV. vnum inter suos Apollinares Iustitiæ assertorem, & incorruptum scelerum vindicem prædicat. Si prudentiam ad rerum ciuilium vsum in purpurato Gallo extulimus; eandem in te desiderare nefas, cui nihil vnquam arduum in conficiendis negocijs opposuit fortuna, quod non ingenij, iudicijq; solertia superaueris. testabuntur æternùm Aldobrandini, Burghesiani, Ludouisij, & Barberini principes, qui pro decore status Apostolici tuis vsi cōsilijs procel-

losos inter rerum turbines,feliciter in clauo na
uis Petri quieuere,tuæ quid valeat consũma-
tæ virtutis perſpicacia. Iam verò cętera mino
ra lumina, quæ te in eminentiæ cœlo Orbi
conſpicuum faciunt, lubens prætermitto; ne
aliorum acta hic ad faſtidium recoquere vi-
deamur. Te quidem liquet aureum eſſe ma-
gni Nicolai germen, quem pridem ciues tur-
batis Florentiæ rebus perpetuum Reipubl.
dictatorem elegere. cuius filium Petrum Ca-
poniũ ad regiũ victoris Caroli cõſeſſum tot
inter Gallos impauidè cantaſſe, vt prodigiũ
in faſtis recolimus. ſed hæc aduentitia ſunt:
tua eſt, & omnibus nota, vt in proſperis æqua-
bilitas, ſic in aduerſis fortitudo; tua vt in agen
do magnanimitas, ſic in conuerſando man-
ſuetudo, quarum omnium virtutum in heroi-
co gradu, cumulo jam ab vltimis Pontificijs
comitijs tibi ſupremum religionis principa-
tum promerueras. viuas interim (Eminẽtiſs.
Princeps) & vigeas; vt aliquando voti rei te in
illo Petri ſolio veneremur. Vale. Bononiæ
è Muſæo Kl. Annum CIↃ IↃCXLIII.
aperientibus.

Ex Pind. in Pyth. Od. V. στροφ. α.

Ω̃ θεόμοιρ' * ΑΡΜΑΝΔΕ
Σὺ τοίνυν, κλυτᾶς
αἰῶνος ἄκραν βαθμίδων
ἄπο, σὺν εὐδοξίᾳ
μεταυίσσεαι, ἕκατι χρυ-
σαρμάτου * ΛΟΓΔΟΟΥ.
——————ὀνδ' ἐρχόμενον ἐν
Δίκᾳ πολὺς ὄλβος ἀμφινέμεται.

Idem latinè redditum.

O ſortem diuinitus adepte * ARMANDE!
Tu vtique virtutes inclyti
Aeui à ſummis gradibus
Cum gloria
Exerces, in gratiam
* LVDOVICI, qui aureo curru vehitur,
Quem incedentem per Iuſtitiam,
Magna felicitas amplectitur.

AD EMINENTISSIMVM, ET REVERENDISSIMVM PRINCIPEM BERNARDINVM CARD. SPADAM DAMIATÆ ARCHIEPISCOPVM.

FR. IOAN. DV ROZIER GALLI FRANCISCO-PAVLANAE sodalitatis Minimorum Theologi, & Regij Concionatoris

DE IMAGINE ARMANDI PLESSISII CARD. & Ducis Richelij Iudicium.

EMINENTISS. DOMINE

INter Gelatos mihi nouissimè contigit è publico suggestu audire descriptam Armandi Card. Plessisij Richelij Ducis Imaginem. actioni præsens aderat cũ illustri Gallorum nobilium syrmate vir amplissimus Des-hamæus regis ad Venetos legatus. habuit præterea imago ex Academicorũ parergis Latina, Gallica, & Etrusca poesi, vt coloribus variegatã academici theatri scenam, quæ spectatorum oculis . animisq. mirã conciliauit gratiam. Sed inter aureas illorum phialas, tot scilicet sapientum virorum stu-

dia,tu mihi princeps ornamentũ Romanæ purpuræ animo occurrebas, cuius intueri videbar aſpectum in tot heroicarum actionum elogio, vt in Saphiro Moyſis impreſſum. Hinc rogatus à grauiſsimæ auctoritatis viro, vt de opere judicium darem, cenſui ſolùm ad te referendã tabulã illius purpurati, maximarum cuius virtutum in te viuũ exẽplar ſpirare cõtemplamur. Qui de Armandi vita (de quo longe veriùs, quam de Alexandro Macedone ſudabunt Orpheorũ ſtatuæ, hoc eſt illuſtrium huius æui ſcriptorum ingenia) commentarios reipubl. litterariæ proponit, decumanos ſpõdet conatus, qui verè afferãt abſolutæ ſapientiæ virum. Vt verò non alium pictorem, quàm aliquem ſæculi Apellem hæc herois Imago poſtulabat; ſic neq; alium, qui de factis illius, & moribus iudicaret, quàm Eminentiſs. Spadã, qui jam olim in Gallia publicis rebus ex officio legationis immerſus inter purpuratos Ludouici toties promeruit amantiſsimis illius cõplexibus recreari. quem nunc etiam Romæ ſuſpicimus pèr grauiora rerum Chriſtianarũ pondera ſapientiæ torrentibus exundare. ſed iſtas laudes aliò deflectit modeſtia, quæ me heìc, jubet egregia tua facinora impreſſo ori digito ſilere, & mirari; vt de precio

imaginis te censorem, & arbitrum interponã.
At si de illa quid opinari me velis, permitte dicã in auctoris stilo graues inueniri numeros solùm ad mulcendas eruditorum aures dispositos. orationẽ video neruosam, figuratã, & fluente periodorum contextu lætam, quæ nõ modò sententiarum pondere persuadet, sed elocutionis aucupio mouet. cùm autem orator in personis, factisq; decorum seruet, haud mediocriter se in hodierno rerum ciuiliũ vsu instructũ ostẽdit. generosos præterea sensus, quales panegyricum decet, expromit, qui dũ selectę dictionis fulguribus coruscãt Armandi facta stupore plenissima in animos auditorum, vt amento iacula robustissimè vibrant. Tota verò Imaginis pulcritudo in heroicis virtutibus consistit, quibus absolutè perficitur idea maximi purpurati; earum in tã éminente viro propositis exẽplis inuenient hodie regum adjutores, quo nec clariùs doceri, nec suauiùs moueri possũt; quòd ipse vitã, quam summa apud omnes sapientiæ existimatione duxit, pari innocentiæ gloria coronarit, rarissimum in aulæ regiæ gratiosis exẽplum. Iam habet ab hac Armandi Imagine Gallia vnicũ sui jmperij adjutoris archetypũ, qui in sacrario pietatis à teneris vnguibus didi-

cerat, vt à Deo Samuel, rerum in arduis gerendarum cõsilia capere. Cæterùm in te (Princeps sapientissime) cùm omnium harum virtutum, vt in opalo omnium gẽmarum ornamenta recenseam; haud displiceat huic illustri tabulæ purgatissimi tui judicij limam applicare. decet enim te probum defuncti cẽsorem esse, qui de te viuẽs tam altè cẽsuit. Imò te de cœlo strenuũ suæ gloriæ propugnatorẽ expetit; tres enim gentilitiæ tesseræ mucrones videt, quibus immortale decus illius potest in obtrectatores sartum tectum vbiq; gentium conseruari. sub eorũ ensium benefico fulgore vt splendet religio, sic etiam collucet nostræ sodalitatis D. Francisci de Paula CHARITAS, quæ de te, veluti diuinitus sibi dato protectore numquam intermittet in sacrificijs vota, donec ipsos enses suspiciat pontificia tiara coronatos. hæc vt exigunt merita, sic ad eadẽ nos tua virtus, & pietas adigit, qui tam liberali manu in me, totũq; ordinem non vulgaria in dies beneficia dispensas. Vale. Bon. è Cœnobio Benedictino III. Nonas Februarias CIↃ IↃCXXXXIII.


Romæ ARMANDVS eras hoc murice, uindice nam te
Romanis Sacris GALLIA tota paret.

ARMANDI
CARD. PLESSISII
Richelij, & Fronſaci Ducis

IMAGO
IN GELATA PORTICV
Elogij coloribus expreſsa

Ardentis Academici Penicillo.

IN honoris orcheſtra veſtrę HERMATHENÆ theatro (Viri Academici) fit hodie conſpicua, quia ſublimis ARMANDI CARD. PLESSISII RICHELII DVCIS imago. Vos hoc artis velamine adumbratum velim cogitetis religionis Myſten, quo nec fortitudine majorem vlla tulit auorum ætas;nec ſapientia meliorem Orbis vſquam approbauit natio.ab hoc heroicæ virtutis auguſtali Vaticanæ purpuræ ornamẽtis obtecto, liceat nobis ingentem animam

pora accendi cœperit; alterum, quòd in Italia extinctum luxerit Roma Christiani gregis pastorem GREGORIVM XIII. vestrum ciuem. Vtrique damno Francorum imperio, & religioni graui, tam bene auspicato natali die adfuit opportunè consultrix omnium Dei prouidentia. Etenim vt ab impietate sectaria germināti ciuilis discordiæ Napello, quo nobiliora Galliæ viscera lethale virus cōtrahebant, è vestigio radici adnascitur antidotus, quæ vim eius deleteriā opprimere debebat; sic occasum Gregorij prouida compensat natura ARMANDI ortu, qui religionis gloriam non inferiore merito sustentaturus, eam aliquando in Gallia, sedatis Regni motibus supra maiorum exempla à nefariorū contemptu vindicaret. & hanc iure quodam hæreditario prouinciam sibi ipse à stirpe generis assumere videbatur; quòd ex antiqua, maximèque illustri PLESSISIA RICHELEA in Pictonibus gēte, supra quadringētos annos non interrupta serie majores recenseat, rerum gestarum gloria pro regno, & religione domi, forisq. inclytos. restituta quippe sceptro Gallico Pictauia, Richeleidum familia in re-

Plessisia Richelea familia nobilitas.

gum fidem conceſſit. ab hinc ſeruitio prompta ijs honoribus augeri cepit, quibus iterato matrimonio in auguſtam Regum Francorũ proſapiã inſitionẽ meruit. ab hac generis origine in regiæ ſtirpis cõmunionem transfuſa, iam nactus erat ARMANDVS indolẽ è radicis virtute regijs moribus imbutã. multi pridem inſana licentia Deorum proſapiam affectantes, ſuum à diuina cognatione genus, non tam metiri auſi ſunt, quàm mentiri. ita ſe Solis conſanguineum Xerxes aſſerebat; Romulus Martis origine gloriabatur; Iouẽ Ammona patrem iactabat Alexander; matrẽ Venerem Æneas; & ipſe principum princeps Auguſtus ſuos volebat Apollini natales arrogari; oẽs ambitionis portẽtoſæ caligine ſanguinis claritudinẽ denigrarũt. hìc verò furtiuis titulis non ſuperbit nobilitas; nec ab alieni ſtẽmatis vſurpatione laudẽ quærit; ſapiũt ſatiui fructus natalẽ fundi locũ, & refert ARMANDVS regijs dotibus regiæ originis naturã; qui majores habuit regalis ſtirpis affinitatibus claros, maximiſq. in Gallia præfecturis glorioſè obitis perinſignes; è pluribus vnus tot abhinc ſæculis dux bello celebris Guilhelmus; poſtre-

Eius maiores.

mùm

mùm Antonius, qui Turonibus prȩfuit in Hæreticos religionis acerrimus propugnator. at Franciscus parēs, qui fuerat Henrici III. fortunarū cōsors, vtriusq. ordinis regij torquatus eques, & Arcuensi, ac Iuriaco prælijs inclytus, dū in vrbis obsidione Hērici magni stipēdia meret prætorianorū ductor, quinquenni filio immoritur; scilicet vt integerrimæ matronæ Susānæ à Porta Vezinsiæ genitrici seruaretur illibati floris cultura; qui radices altas in solo pietatis, & sapiētiæ agens, vberē religioni, regnoq. promitteret maximarū virtutū prouentū. Fortunato Richeliæ gētis alūno Alphonsus erat ætate prouectior frater. vtriusq. indolis, ac ingenij moderatio, nō nisi expertæ virtutis, ac sapientiæ doctoribus in Nauarræo, & Lexouiensi collegijs Lutetiæ commendatur; vt indȩ cumulata bonarum artiū cognitione instructi Philosophiæ studijs, quæ robur, & lacertos musarum elegantijs adderet, incumberent. per hos gradus mox vterq. prouehitur ad legū exedras, additis pro coronide Theologiæ laureis à Sorbonæ professoribus, quos in sacris cōcertationibus fateri fuit ab Armādo, dum in æde B. Andreæ Artiensis è superio-

1569.

Frācisc. Armandi pater. 1590.

Susanna à Porta mater.

In Theologicis publicè reſpondet.

re loco diſputaret, ingenij ſubtilitate ſuperatos. Cæterùm gaudebat, vt alter Caſtor Alphonſus in Lucionenſi Epiſcopatu (quē paucis ante luſtris duo eiuſdē familiæ, & affinitatis præſules tenuerant) diuinitatis honoribus; is ſapientiæ fratris veſtigia, ſagaci mentis cōtemplatione odoratus, iam ingenij capacitate abſorbentia quicquid extra vniuerſū pateret, illis ſe lubēs abdicat infulis anachoreſi Chartuſiana delectatus; vt ad eius gloriam, quæ pleno ſinu totam admittebat immortalitatē, vota conuerteret.

Epiſcopatum adit.

Sic ARMANDVS in Eccleſiæ Lucionenſis poſſesſionem, quintum ante ætatis luſtrū vocatus; quòd iam ſupra cōis hominū ſortis faſtigiū mentis dotibus aſſurgeret, ſoluta annorū lege Epiſcop⁹ à Paulo V. inauguratur. etenim abſolutis ingenijs, annos præcurrente merito, haud expectato ætatis termino, honores deferēdos iampridem è publicæ rei compendio perſuaſit æquitas. ſacris infulis inſignitus patriā, & Eccleſiā cogitat, vt tot inter ſæuientes impiorum hoīum hyænas, quas hæreſis nouisſimo ſæculo è Geneuæ faucibus eructarat, tanquā optimus Paſtor ouili laboranti ſuccurreret. Eſt enim Pictonū ager,

vbi Lucionum Ciuitas, Rupellensi conterminus, à quo latè grassantem Caluinianæ sectæ contagionem imbiberat. At in religiosissimo munere iam optimi antistitis impleuerat partes mysteriorũ fidei sedulus dispensator; cùm audita Henrici magni parricidiali cæde, mox ingeniũ sacris concionibus destinatum regiæ sedi Lutetiæ cõsecrauit. in æde B. Andreæ verbo Dei disseminando vacat, eoq. prouentu Christi vineã fœcundat, aduersus spiritus nequitiæ flammea de Cœlo spirans eloquia; vt cùm frequens auditorio sacro regum majestas interesset; vrbs regia ea impleta sit ARMANDI eloquentiæ fama, solus vt verã medendis à scelerum cõtagione animis de cœlo tulisse Panaceã crederetur. Sic in religionis sãctuario, dũ suadelæ sacra facit, prima libat fortunæ suæ oscula, Annæ Reginæ pijs in egenos largitionibus primo loco præfectus; qua via sibi ad regiam generosissimæ Principis, auspice Deo, aditũ aperuit. Veruntamen heroica virtus, quæ solũ arduis, & durioribus enitere gaudet, cùm iam publico præconio ARMANDI merita vbiq. probarentur, ipseq. præclarè in gene-

pientis animus in æuo procelloſo qui fuiſſe dicitur in ſuo mirabili Cœlo Rex Perſarum Coſroes, è quo mugire tonitrua, pręmicare fulgetra, præcipitare grandines, ſecurus, vt in arce diuinitatis contemplabatur. Interea mens Armãdi inquies jugi ſapiẽtiæ pabulo enutrita non patitur ingenium deſidioſè proiectũ in ocio à vitæ inſtitutione feriari. alij ambitionis artificio publicis exuti curis, ne altum indormiãt, inania rerũ ſimulacra ingenioſæ phãtaſiæ ſomnia in mente ſibi fabrefaciunt. RICHELIVS in ocio id ſibi negotij datum à Deo putat, quo Romanæ religionis ſanctitas in heterodoxos aſſeratur. librũ in lucẽ edit de tuẽda religione catholica; vt orthodoxorũ veritatẽ melioribus ſapientiæ notis teſtetur. haud tamen diu carere potuit Gallia viro maximis rebus gerendis perquã idoneo, cui domeſticis turbatæ diſcordijs iam conſtare ceperat quanti redimenda foret eius opera in ſuo periculoſè fluctuantis imperij moderamine. In regiam Auenione reuocatur. & regis imperio Reginæ Matri Blæſas proficiſcenti ſe comitem præbet. at regum mox vtrinque exacerbatis animis ad Cæſareos pontes in trajectu

In regiam Auenione reuocatur. An. 1616.

Ligeris, mutuas inter cohortes inita pugna; requirebatur; ne majora ſuccreſcerent incendia, qui flammam in fomite extingueret viri per ſummam prudentiam ſapientis opera. Vnus RICHELIVS cum Cardinale Rupefucaldio inter filium, & matrem hæc optatisſimæ concordiæ ſemina iacit; pacis oleam alter Mercurius Galliæ defert, quæ radices altas mox in Regũ animis agens omnibus reſtituta tranquillitate, belli nebulis obductam regiam ſerenauit. bene quidem litauerat Gratijs Gratiarum alumnus Præſul, qui non ſolùm accenſos Regum animos humanitatis jure compoſuit; ſed ab vtriuſque pectore omnes diffidentiæ fibras radicitus extirpauit. fuit hoc illuminatæ prudentiæ opus, heroicæ virtutis tyrocinium, cuius pretio ſibi Vaticanæ purpuræ trabeam diuinæ majeſtatis in terris æmulam acquiſiuit. A Gregorio XV. gentis Ludouiſiæ (qui ſuos illuſtres natales veſtræ Palladi, Viri Bononienſes, debet) oſtro veſtitur; vt proinde meritò posſitis à veſtra Pallade armatum ſacro-ſancta religionis Ægide ARMANDVM gloriari. nõ poterat optimus Pontifex

Regem cũ matre conciliat.

à Gregor. XV fit Cardinalis 1622.

augu-

auguſtiorem eligere ad purpuram;nõ optare ingenium coccinatorum patrum Senatui illuſtrius;per quod religio in Orbis theatro ſuæ majeſtatis imperium majori gloria exerceret. Ab hoc ſacro murice ſcintillare proſpiciens ſapientiæ fulgetra,quibus orbe toto, nedũ in Gallia religionis dignitas illuſtrari debebat;in locũ Card. Retzij Sorbona vetus Theologiæ parens Cardinalem Richelium doctorũ ſuorum prouiſorem (quod munus aliàs Clemẽs VI. obierat) ſorte bona proclamauit. non vacat ijs paginis,vt in anguſtiorem tabellã contrahere tot illuſtria, quæ contulit in eam beneficia; ſed inter conſpicuas magnificentiæ notas, næ imprudens, ſi duo lectiſsima prætheream eius magnitudinis animi monumenta.

Doctorũ Sorbonæ prouiſor

Deo templum erexit; ſapientiæ domicilium in Sorbona conſtruxit,vt vtroq. memorabili opere (quo nihil eſt vſquam auguſtius) ARMANDVS doceret ſub gemina pietatis, & ſapientiæ baſi, ſibi per heroicas actiones erigenda eſſe ſolidæ glorię fundamenta. Erat hoc ſæculo fatale regnantis in Orbe Monarchiæ Palladium ARMANDVS, quod Ludouico Iuſto,Monarcharum quippe optimo,

Sorbonam ædificijs illuſtrat.

mox eius consilio pax Italiæ redimitur, icto cum Hispanis Monconiano fœdere; quo sedata est Italici belli tempestas, & furiosum numen sine sanguine propitiatum. Sabaudus longè diuersus à stolido Domitiani ingenio muscis per otium configēdis dedito; vt quietis impatiens leo vicinorum hostium aculeis exagitabatur; hinc obsessa ab Hispanis ad Padum Verruca; illinc erepta à Liguribus Onilia. Pro consanguineo Galliæ Principe Galliam armat ARMANDVS, & liberata Verruca, compositis Ianuensium querelis bellicosissimi Ducis animum flectit ad Italiæ tranquillitatem. Gonzagæ originis Dux Niuernij Carolus fortunæ turbine circumactus Germanorum arma senserat in sui, suorumque perniciem fatalia; iisce nocentibus auris afflatus inuictæ constantiæ Princeps, Vrbe direpta, ereptaque ditione, iam omni mactus infortunio contabescebat; nisi ARMANDI sapientiam suis expositam periculis intellexisset; cuius ope, per Iulium Mazzarinum ad sub-Alpinates Vrbani Pontificis Nuncium mox à Cæsare pax reddita est, & restituta Mantua, omnesque sublati

Pacem Italiæ restituit.

Sabaudo in Hispanū suppetias mittit.

An. 1629.

Mantuæ Ducatum Niuernensi asserit.

An. 1631.

quibus

Armando repetamus;quē vt æqualem regum maximi adiutorem oportuit intestino sectariæ rebellionis morbo laborantibus occurrere. erunt interea præ temporis angustia,pleraque consultissima domi patrata,nobis in hac imagine, silentij velo obducenda , vt ad ea, quibus tota illius imperij majestas innititur , principes artis,& penicilli lineas traducamus. etenim tacebo nuptiarum ceremonias , quas inter Gastonem Regis germanum fratrem , & Mariam Borboniam Montispenserij Ducis filiam ad Nānetes illustri Regū interuētu celebrauit. tacebo perinde , quæ Regi proposuit edicta aduersus singularia ex prouocatione pugnantium certamina,quibus vrbs regia Nobilium lanienæ campus erat. tacebo Hierosolymis ab Amurathe Ottomanorum Imperatore , RICHELII cōsilio, & ope restitutos in possessionem Sanctorum Christi Sepulchri,& Spelūcæ Betlehemicæ locorum, Franciscanos;quos Armeni, corruptis Iudææ præfectis magno religionis dedecore excluserant. majora quidem subeunt è splendidiore virtutis heroicę recessu Annalium fastis æternanda Iustitiæ,fortitudinis, & sapientiæ AR-

Gastonis Regis fratris nuptias celebrat An. 1626.

Edicta proponit aduersus singularia certamina.

Franciscanos restitui curat in possessionē SS. locorum. An. 1625.

MANDI monumenta neglectā ægrè ferens rei maritimæ curam in regnō tot æſtuarijs, & portubus, qua latè fluit vtrinque mare pleniſſimo; languere docet Galliæ potentiam maritimo præſidio deſtitutam, & eius ſuffu-

A rege ſummo iure vtrique mari præficitur.

rati, vt à quodam Typhone nerui quomodo reparentur, inſtruit. hinc à Rege vtrique Gallicano mari ſummo jure præfectus quæcumque maritimis expeditionibus opportuna

Claſſes inſtruit

forent, vbique parat. in laxis portubus, ampliſque æſtuariorum ſtationibus, quà fluit Oceanus, quà mediterraneum Gallicas oras allambit, claſſes armat, triremes auget, nouoſq. Gaulos, & parones, alia q. id genus ad bellum nauigia extrui iubet; quibus ſuis optimè inſtrumentis, armis, Nauarcho, milite, commeatu inſtructis, ſumma cura, parique commodo nauales vbiq. ſtationes communiuit. vt verè tunc cæperit Gallia cùm ab amicis æſtimari, tum ab hoſte feriò formidari; ſolidaſq. potentiæ radices agere, quas nec in eam cōiuraratus Orbis euellet. Cæterùm in claſsium ductores, & nauarchos, quos rerum naualium peritia ſpectatiſsimos ijſce maribus fecerat, adhibuit. tali robore vtriuſque maris imperio

potitus cùm Galliam ab externis malis ſartam tectam præſtat; tum eius internis mederi ſatagit, iam toties nauali prælio rebellione ſubacta. vt amodò Gallorum victoriæ nullos agnoſcant terra, marique terminos; nullas inueniat Ludouici inuictisſimi regis gloria metas ; nec vlla demum ſapientisſimi Ducis Richelij meritis exæquanda reperiantur emblemata . Britannus à fœdifragis Rupellanis inani ſpe lactatus imperij Aquitanici, quo jam pridem nimia Regum Galliæ facilitate potitus erat ; è Londinianis naualibus BuKinghamio duce, claſſem emiſerat , qua ſe iactabat in Angliam captiuum Orbem exportaturum ; erat enim, aſſerebat, nonaginta nauigiorum grandium , minutorum centum, & viginti, omnibus perbene inſtructa ad naualem pugnam inſtrumentis. Vidimus hanc totam potentiam , vt in ſcopulum alliſam vnius ignobilis Inſulæ Rheæ (quæ ſolùm in longum dena quaterna, in latum octona millia patet) vanæ temeritatis abortum feciſse ; vidimus eam à Gallis Toeraſio , & Schombergio ducibus non procul ab Olonijs Sabuletis disſipari ; vt ex tot bellatoribus vix

Rhea Inſula maris Pictonici aduerſus Anglos ſeruata. An. 1628.

Anglorum clades.

mille,& ſexcenti fuerint ſuperſtites, qui velis melioribus in Angliam reuerſi, cùm illatam cladem popularibus referunt; tum mox ducis inter ſuos ſecuta cæde, dedecus reparatum publicant. Lerinenſes inſulas SS. Honorati, & Margaritæ in Saluuiorum mediterraneo Santacrucius Hiſpanicæ claſſis præfectus magno conregionalium terrore nouisſimè occupauerat, quas extemplò Gallis ereptas Iberus propugnaculis, milite, commeatu ſollicitè munierat. non tulit RICHELIVS tam altè inflictam Gallico nomini plagam. non tulit hoſtem diutius ceruici prouinciæ grauem; iubet à Vitriuio Saluuiorum præſide armari claſſem, qua mox arces, Harcourtio Duce ſtrenuè impetitæ, & ad deditionem coactæ ſunt.

Verùm ſub idem tempus, quo Gallia Delphini principis optatiſsimi Natalibus conſolatur; claſſis Iberica in Liguſtico mari luctuoſa clade à Francis afficitur, inter cæteras nauali prælio capta cum vexillo regio triremium prætoria. jam victrix, & concors vbique Gallia ſuæ ſortis gnara probè noſcit, & videt quid poſsit, quid non

poſſit

posſit ; neque tot exemplis edocta fallitur in æſtimatione virium ſuarum . ſentiunt hoſtes per ARMANDVM inuictos Gallos,& inuiti prædicant nullis caſibus ſuperabiles.fatentur nunc vanè illis olim obiectum , quòd temerè,ac turbidè bellicos cierent motus; quibus hoc ſæculo terra,marique cuncta proſperè,& ſplendidè ſuccederent. Sic latè Francorum claſsis mediterraneum excurrens hoſtibus vbique terrorem incutit,ſeu lambat Thuſciæ plagas,ſeu legat Campaniæ oras,ſeu continentem Sardiniæ exſcendat; ſeu tangat Hiſpaniæ littora . Sunt magnæ gloriæ maximi RICHELII choragia , quæ iure optimo ſupremam ipſi apud æquiſsimum Regem , omneſque regni ordines peperere gratiam . majora tamen,nec vllis vnquam ſæculis audita proponamus . Rupellæ expugnatio à Ludouico feliciter ſuperata , noſtris excepta annalibus vix fidem in animis poſterorum inueniet. ad illius euerſionem opus fuit ARMANDI ſapientia,vt * Herculis admirandi claua,qua proſtrata jacuit hæreticæ rebellionis hydra.poſuit contumaci populo ſuperbię metam,cui furor in regem nullum dederat au-

Rupellæ obſidionem delibe rat.

* *nominis Anagramma.*

daciæ modũ. ab hac vnius anni vrbis obsidione sæculis perennatura, vbi incolarũ ad viginti millia extrema inedia periere; liberata est peste religio, Aquitania pondere, Gallia opprobrio; & huius in partem nunquam satis prædicandi facinoris venere tot vnius LVDOVICI IVSTI gloriæ reseruati Regni proceres, Borbonij, Guisij, Inculismæi, Harcourtij, Mõmorancij, Trimoillij, Theminij, Marilliaci, Schombergi, Courȩj, Tauanes, Bassompetri, Nellæi, Rupefucaldij, alijque armis, & bello maximi Duces, quos in Castris Rupellensibus, vt in palæstra fortitudinis, & temperantiæ Ludouicus exercuit. at inter eos vnus instar omnium sublimi emicuit sapientia Armandus, cuius consilio vt Rupella caderet, Oceano rebellioni fauenti compedes injecti; Aquilonibus LVDOVICI voto contranitentibus firma sunt objecta luctamina; Terræ, quæ ciuitatem fecerat inexpugnabilem, vndique fuere circumducta trium leucarum ambitu vincula; ijs adstructa propugnacula, distributi in classes armatorum manipuli, positæ demum stationes, & opposita tormenta; quibus, vt occlusum fuit hosti-

bus effugium;ſic aperta regijs via vrbis expugnandæ. Rupella debellatur rebellantium primaria ſedes, quæ ab anno ſuperioris ſæculi trigeſimo quarto, regnante Franciſco I. iam cæperat imbibere cum rebellione Caluiniani dogmatis toxicon; quæ mox euocatis in Galliam conjuratorum Teutonũ agminibus, & admiſsis in ſua mœnia è toto Regno transfugis, annis ab hinc ſeptuaginta Regis,& religionis jugũ omnino excuſſerat. per ARMANDVM vt Regi deditur, ſic Religioni reſtituitur. in ea primus ideo ſacrum agens Kalendas Nouembreis Cœleſtium omnium feſtiuitate celebres, reparato MISSÆ ſacrificio fecit æternum celebrandas. Regio iuſſu ſolemnem inſtituit per vrbis afflictæ vicos,& compita Chriſti corporis tranſuectionem, qua Diris antea deuota ciuitas expiaretur. ijs publicas addit quadragenarum horarum comprecationes frequentisſimo aulicorum,& caſtrenſium interuentu; quorum exemplis Rupellanorum ciuium non pauci occulta præpotentis Dei virtute adacti ſunt impiam Caluiniſmi perfidiam ejurare. O Rupellenſium caligines pietate

Rupella regi deditur.

Primus in vrbe Rupella Miſſam celebrat.

Rupellanis catholicam religionem reſtituit.

ARMANDI ſerenatas ! ò facinora adamantinis cęlanda tabulis ! quorum in terris eminenter conſpicua vigebit memoria, quandiu in cœlis heroicarum actionum, quæ pro cœlo patrãtur, eminebit gloria. his pietatis, iuſtitiæ, & fortitudinis titulis felicitatis ſuæ aſſeclis Ludouicus æquiſsima gratitudine ei maiora regni deſtinat honorum faſtigia. accedunt Pariſienſis curiæ decreto cõfirmatæ Ducis, & Paris Franciæ dignitates, nec non Aremoricæ prouinciæ præfectura; quorum ſummam, ſummo cum decore, parique mentis robore ſuſtinet. etenim ab eo tempore, quo Rupella arx vna hæreticorũ tutiſsima ſceleribus occubuit, Armandi gloriæ perpetuò victura; ſunt eius conſilio Romanæ ſedi per omnes Galliæ prouincias pleniſsimo iure diuini cultus honores reſtituti: voluit toto regno integram ſtabiliri Ludouico potentiam, extirpato radicitus omni rebellionis ſemine, penituſque domitis nouæ ambitionis geryonibus, qui ſupercilia ſubinde erigentes, vt improbi Typhones à Ioue Ætnæ mole; hoc eſt à Ludouico regni viribus erant opprimendi. ſed placuit regi optimo hanc vnius Armandi ſa-

Fit Dux, & Par Frãcia.

Britannia Prorex.

tiæ palmam ſeruari,qui ſine mora à Rupellanis deuictis, Nemauſenſes, Albimontanos, cæteroſque rebelles ea ſciuit induſtria,& dexteritate in iuſtisſimã Ludouici obſequentiam reuocare;vt mox fatiſcentibus omnis vbique odij,ſuſpicionis,& calumniæ nebulis,eſt toto regno ſolidæ pacis,& ſecuritatis reſtituta ſerenitas. ſic æquè fortiter, ac feliciter tranquillat omnes turbulentos regni fluctus;& ipſam Luparam tot exterorum hoſtium manubijs iam pridem glorioſam Francorum regiam, additis hodiernæ rebellionis trophæis,ad exẽpla poſterorum facit Orbe toto venerabilem. Hinc iterum à Rege cumulatis augetur honoribus, in peruigilio PENTECOSTES ſolemni purpuratorum Galliæ interuentu primus torquati regij ordinis ſancti Spiritus cõmendator declaratus.ſed in quam reuerentiã apud exteros proceſſerit eius incredibilis ſapientia, erit operæpretium in huius imaginis tabulam contractis rerum geſtarum lineis referre. prætermittam interim tot inclyta, quæ pietatis, & doctrinæ Orthodoxis exhibuit argumenta.libros editos de tuenda religione Catholica;chriſtianam ad parochos inſtitutionẽ,

responsum aduersus principem Caluinianæ sectæ ministrorũ ad regem epistolam, aliaq. excellentis ingenij ornamenta. prætermittam Cluniacenses, & Cistercienses Cœnobitas maximo religionis bono reformari procurasse. nec alijs, quàm meritissimis dignitates ecclesiasticas addixisse. silebo tot edita liberalitatis, & munificentiæ in religiosos, ac sapientes omnium gentium viros exempla; quorum memoriã vnus vester Claudius Achillinus Italiæ togatorum clarissimus, eius aureo numismate inter cætera donatus solebat egregiè comendare; dignum prædicans, vel hoc nomine Richelium, qui cum Alexandris, & Cæsaribus in orbis Capitolium inuectus gloriæ curru triumpharet; quòd eius impressa vestigia longè feliciùs, quàm quæ de altero principe Gallo retulit Athenæus, mortalibus aurũ, & beneficia producerent. silebo in Antoniana via D. Ludouici Basilicæ à Ludouico rege Parisijs extructæ operis Corinthiaci frontem Armandum posuisse. silebo ab eodem comparatam in vtroque Galliæ mari maritimæ negotiationis exercitationem Morbihanæ societatis erectione, quæ cùm aduenis co-

Armandi liberalitas.

Frontem Basilicæ D. Ludouici Parisijs extruit.

Morbihanam societatem erigit.

mercia;tum indigenis asportat vtilitatis maximæ subsidia.silebo regis auspicijs ab ipso Lutetiæ erectum regiæ Academiæ theatrum;vbi velut in palæstra virtutis, & sapientiæ Francorũ vicenis millibus annuis orthodoxæ religionis nobiles, fortunæ tenuis ephœbi biennium ad pacis,& belli artes instruantur. silebo in sub-Alpinatum foribus celebrem Auillanæ victoriam Mõmorantio,& Deffiato ducibus per ipsum reportatam;arcemque Pinarolum ad Delphinios Allobroges cũ Perusano castro, totaque valle vno armorũ impetu sublatũ.quibus,vt aliorũ injurias crescere prohibuit;sic Italicæ pacis auctorem Ludouicum asseruit.silebo quà felicitate Aureliarũ Ducẽ sola credẽdi facilitate in regem nocentem regiæ beneuolentiæ restituerit.qui conjuratorũ inuolutus cõmercio Liburnorũ agmine trãsgressus Heduos, assumpto sibi in factionis conscientiã præside, Tectosages opprimebat; ni regis aduentũ seditiosorũ ducis captiuitas prçcurrisset,quæ rebellionem in abortu præfocauit. silebo toties eius prudẽtia deuelatas artes,quibus hostesGalliç assuta sibi vulpina pelle,dũ leonina deficeret, primariæ nobilitatis An. 1619.

proceres ad se pellectos regis,& patriæ deser tores fecere. tūc ab eius ingenio, vt è Iouis cere bro prodijt armata Pallas, cuius sapiētiæ fors obnoxia ceruicem præbuit, & inuita Ludouicum omnis suæ potentiæ arbitrum pronunciauit. omittam qua dexteritate eluserit abalienati à regis obsequijs Caroli Lotharingi lubricæ fidei ducis clandestinos conatus; cùm toties datam fidem temerasset, ei post tot effugia nocendi facultate adempta. etenim in Lotharingia, quam aduersus exteros tutelæ regiæ submiserat, per secreta flagitia tur bas miscere cæperat; occultis Aureliarum ducis cum sorore nuptijs, dū illic à rege dissidio sejunctus hospitaret, implicitus. vt mox ad vindictam excitus Ludouicus Nancejum metropolin, quæ decēnalem minabatur oppu
An. 1633. gnationem, quatuordecim dierum intercapedine cum arce receperit; totamque ditionem mira armorum, celeritate in suam fidem, & clientelam traduxerit. sic impotens libido facit hodie extorrem sine lare, & vxore principem, quem Nicolæ Lotharingæ nuptiæ fecerant tot amplis ditionibus opulentum. omittam qua celeritate oppresserit enascētes

in regno popularium seditionũ motus Lugduni, Burdegalæ, Diuione, Rothomagi, alijsque in vrbibus regni primarijs; quos ipsa fæx rerum nouarum auida, priuata vulnera reipublicæ malis operire satagens, excitarat. qua auctoritate hæc vrbium turbamenta toties ad excidium Galliæ fatalia, vel nondum adulta melioribus consilijs represserit, vel præsidium ab audacia adepta, regis aspectu terruerit; vel demum fervere incipientia armis subuerterit. omittam, qua solicitudine incessanter curet legationibus præfici spectatissimos quosque; vt Ludouici majestas ab exteris principibus, qua decet veneratione excipiatur. silebo tãti genij in amorem, & admirationem raptum Adriæ Senatũ, principũ regiam, eũ inter Patritios cõmuni voto cooptasse; vt in fortunam suã non hostis, sed amicus; nõ hospes, at ciuis esset; qui patriæ libertatis Italicæ propugnaculo, & eius fatali palladio Scæuolæ fide fideliorẽ animũ cõseruaret. omittã qua solertia limitaneas arces, ne quid in tumultu trepidetur, omni re militari fecerit instructas. qua vigilantia castrensem, quæ luxu, & ocio elanguere cæperat, restituerit disciplinã; vt jam Galli milites

ad veram fortitudinem compositis, arte bellandi triarios, qui Romanis Orbem subegere coæquent. eius postremùm immensas tacebo curas, vt thesauri regij eruscatorum fraudibus occurreret; vt legibus sumptuarijs vestium luxum frænaret; vt labentem in tribunalibus justitiam sustineret; vt torpentem otio nobilitatẽ erigeret; litteras promoueret; artes ornaret; mercaturam augeret; regno demum tranquilitatem pareret; Regi gloriam compararet, omnibus felicitatem præstaret. O præclara Armandi virtutis, & sapientiæ exempla! quorũ ad singula cùm Orbis obstupeat, jã à cunctis terrarũ gentibus, vt è cortina diuinitatis prodeuntia suspiciũtur. magna quidem (A.) sed adhuc majora subeunt, & ea, quæ cùm ab omnibus commendari; tum à nemine pro dignitate prædicari possunt. Sunt enim talia pro religionis incremento, regni salute, sociorum libertate, Regisque gloria, vt humanis mentibus miracula exprimant; quæ cùm omnes optare, vix tamẽ quispiam ausus esset expectare; quorum agressio paucis probata, An. 1624. quia nemini, nisi Armando explorata. Henrietæ Borboniæ cum Anglo matrimonium

damna-

damnabat incapax tanti arcani ingenium; quòd hæresis eo propagarì videretur; sed quãti religioni hodie intersit in regno Angliæ ex vtriusque nuptijs lineam catholicam stabiliri, quæ aliquando ad solium regium producta magnæ Britanniæ reges è numero hostium Ecclesiæ deleat, probãt hodierna tempora, quæ veterem reducere parant in illa regna orthodoxæ religionis amœnitatem. coniugalis amoris scintilla vim à sacramẽto adepta, cùm sit Deo gratissima sæpenumero facit, vt inde maxima populis oriatur felicitas. suscepit Anglia iã ab anno quadringẽtesimo nonagesimo chriſtianã fidem ab externis nuptijs Aldibergæ Gallæ Alderti regis Anglorum vxoris. restituet hoc decus Angliæ optimæ principis Gallæ regium semen. vt vbique terrarum prostrata Caluini hæresis absque spiritu victa iaceat, & vincta Armandi sapientiæ loris. Non procul Ambiano in Frãco-belgio validissimum ad Somonam opidum clandestinis in arce consilijs Hispanus Gallis eripuerat; jã hostili Liburnorum equitatu Vvertio maxima popularium trepidatione Parisios vsque excurrente. momentò adest ad fanum An. 1637.

S. Quintini Ludouici gloriæ conſors Armandus. hoſtis finibus abigitur, celebrique obſidione Corbia, mox eam Caſtelletum, & Capella limitaneæ ad Belgium arces ſecutæ recuperantur. Lotharingus infeſtis armis in Rhemos excurrebat omnia ferro, flammiſq. miſcens; Armandus injecit furori manum, & immisſis Forcæi copijs hoſtilem ferociam longè extra Galliæ confinia repreſſit. veruntamen ab hoc latere ijs Galliam arcibus, & præſidijs munire cogitat, quibus intercluſo hoſte, omnique cohibita inuaſione ſit aſſerta regioni ſecuritas. quæ ſibi ea præſtarent habuit exploratò, & quibus aſſequeretur adfuit fortuna virtuti comes. Briſsaci ad Rhenum opidi apud Triboces validisſimi obſidionem ſuadet, in quam Vaimarus ſumma cura incumbens, vt opidanos caſtrenſibus ſeptis intra mœnia contruſit, Vvertiumque, Lotharingum, Sabellium, & Getzium armis maximos hoc æuo duces fudit, vrbem famis extrema perpeſſam ad deditionem coegit. ſed quanti momenti ad Galliæ ſalutem foret arcis huius expugnatio, nouerat Armandus, qui tam ſollicitè illius expeditionẽ nullis ad Vai-

marum intermisſis auxilijs procurauit. at cō-
iuratis iterum ad ciendas in Gallia turbas,fa-
uebat oppidò vrbs ad Moſam munitisſima
Sedanū;quod fortisſimi duces vix ferro ten-
taſſent,ſuo impleuit cōſilio;vrbe dedita Bul-
lionio Toparcha regiæ clientelæ,& auitæ reli-
gioni reſtituto. his loricis in Germanos mu-
nita Gallia ſuos veteris Rheni, & Moſæ ter-
minos repetit; Francoſque aſſerit huic etiam
feroci populo metuendos. ſed nos interpellat
Leucata caſtrū in altero regni,verſus Hiſpa- An. 1617.
niam angulo Coſſetanis ad Tectoſages con-
terminum. hocHiſpani validisſimo exercitu,
foſſis, & munimentis cinxerant,Cardona, &
Sorbellono ducibus. obſidionis ſolutionē cō-
mittit Halluino prouinciæ præſidi. obſtupe-
ſcet audire poſteritas eo duce à deſcriptis vix
ſepties mille indigenarum cohortium copijs,
cum exiguo regionis nobilium equitatu, per
asſiduas muralium,& manualium tormento-
rum ejaculationes;per ſaxa,ferrum, & ignes
hoſtium caſtra ſuperata, arcemque ſex hora-
rū certamine liberatā,expulſo è præruptis mu
nimentis Hiſpano;qui relictis in acie,caſtriſq
ſignis,tormentis,armis, & impedimētis obtu-

lit

lit sub finem Septembris dignam Gallis victoriam, quæ vt Ludouici regum felicissimi natalibus accederet; sic antistitis consultissimi votis respõderet. non minùs vberes in Italico solo Francorum nomini pangit triumphi palmas Harcurtius, quas Armandi consiliũ sic iterum in obsessi Casalis vota fœcundauit.
An. 1639. sub initium Aprilis à Leganesio Mediolani præfecto, qui nouissimè Vercellas expugnarat, vrbs toties ab Hispanis tentata (quæ leui Gallorum præsidio munita custodiæ, & fidei Turriani subjacebat) obsidetur. jamq. imminebat eius deditio clandestinis hostium consilijs obnoxia, vt à Richelio Amulij Palladis oculis omnia circumspiciẽte, sine mora iubetur laboranti Italiæ suppetias dari. Harcurtio duci tot victorijs inclyto rei summa datur. accedunt aggressioni Turenensis, Pralinus, Odẽcurtius, & Villa expertæ virtutis, ac prudentiæ belli duces; qui legionibus in varias partes ad impressionem dispositis; hostiũ claustra peruadunt; diù, acriterq; pugnatum; mox à turbatis agminibus laxa fuga salutẽ hostis quærit; strages editur, munimenta deseruntur. sic optimi regis clementia, terq; maximi Cardi-

nalis ingenio Casale tertiùm libertate donatum prædicat, & æternùm prædicabit Italia. Auditis (Viri Academici) quàm fructuosè Galliæ vires pari justitiæ, ac potentiæ æquilibrio in protegendis socijs ab Armādo dispensentur. audiamus,& absque tædio quàm gloriosè easdem occupet in recuperandis ditionibus, quas superiori sæculo hostis inter ciuiles regni motus vsurparat. Origiacum in Atrebatum agro, cuius olim primus Comes fuerat alter rex Galliæ Ludouicus,Ludouici sancti parens(à quo recta ducit originem Ludouicus noster) vrbs est ad Scarpam flumen prouinciæ metropolis natura,& arte munitissima; huius obsidionem repetendis ereptis opportunam rex Armandi consilio decernit, Chaunæo,Castilionio, & Millæreo prætoribus. ab ijs circumducto quinquies vicies mille peditum, equitum nouies mille exercitu III.Idus Iunias obsessa est;IV.verò Idus Augusti subsequentis dedita;vt vix integris duobus mensibus obsidionem sustinuerit;ad hostis conspectum, qui tricies armatorum millibus vrbi suppetias laturus aderat.rex victor equo vectus magna pompa vrbem inijt; regi

proximè incedente Cardinale;illum glomeratis nobilium cateruis stipatum ; istũ regijs à cõsilio proceribus circundatũ;vtrumq; omnes vrbis ordines ominatis precibus, faustisq. acclamationibus excipiũt. tã splẽdida triumphantis in morem transuectione Ludouicus in templum delatus Deo refert accepta tot victoriarum trophæa,& receptis in fidem municipibus regiam repetit. confundantur improbi in hac adeo diffusa Armandi gloria, quam vniuersus Orbis occupat;quam nec latere potest etiam ipsos, quos latet humanitas, detur eius eminenti purpuræ incomparabili sapientiæ debita veneratio.fateamur salutaribus illius consilijs adjutum regem ea fortiter exequi,quę totius heroicæ antiquitatis virtuti pudorem incutiunt;nemo quippe vnquã sapientiùs intima Frãcici imperij viscera penetrauit;nemo judiciosiùs æmularũ dominationũ vires expendit;religionis dignitati integriùs prospexit;sociorũ oppressionibus opportuniùs adfuit.cõcitatas factiones, & perfidias in ipso partu feliciùs suffocauit decẽ consilio Nestoras ad vnius Orbis imperiũ optauit Agamemnon; vnus adsit Ludouico Armãdus,

cuius optimis artibus dominatur in vrbibus Aſtræa, floret in regijs exercitibus diſciplina, triũphat vbiq. victorijs Gallia; poterit vel ipſius Alexandri Macedonis anxiã explere de tot Orbibus debellandis ambitionem; ni Ludouicus ab alieni imperij cupiditate ingenito iuſtitiæ amore abhorreret. Sed bellum (clamitant æmuli) quo vita Chriſtiano eripitur, quo ſpoliatur inſons, quo vaſtãtur prouinciæ, quo tot hominum myriades cadũt, num à principe Chriſtianæ religionis purpurato aliẽnũ haberi debet? Sunt ſanè bella regnorũ criſes, quibus turbatur inferioris naturæ ordo; at juſtitiæ zelo inſtituta, vt tollatur rebellãdi feritas; vt coerceatur dominandi libido, vt publica demũ tranquillitas afferatur gratiam habẽt in cõſpectu Dei, & ipſis regibus gloriã, populis incolumitatẽ, omnibus etiam ſecuritatẽ ſpõdent. nobilisſimũ bellãdi genus, Deoq. gratisſimũ, quo domantur ſcelera, vincitur perfidia, ſubjguntur vitia, quo de cathenata hæreſi animarum tyrannide triumphatur. plena ſunt ſacra volumina ſanctos viros approbãte Cęlo, viciſſe regna, & fortes in bello fuiſſe. ſed ad noſtra reuertamur. an patietur Armãdus, qui

regni fœderatis tã feliciter adfuit, regis cõſanguineos indefenſos lãguere? nequit abſq. indignatione audire Chriſtinã Borboniã Sabaudiæ Ducis matrẽ cũ pupillo regia expelli, ditione, & prouincia ſpoliari. iubet ordine regio ingruentibus procellis, quæ principẽ ab exceſſu mariti naufragio proximã fecerant, ſuppetias dari. victorẽ Harcourtium nulla mora Taurinos opprimere; vrbẽ obſidere, flectere ad fidẽ ſubditos; rebelles ad obſequia cogere. æquisſimum ſibi videri teſtatus, vt regius Galliæ ſanguis, qui per ſæuisſima bella proculcabatur, regia manu ſubleuaretur. non vidit Italia hoc ſæculo celebrius obſidiũ, vbi claruit ad propugnationẽ Thomas Carignani princeps, toties impetitis magna fortitudinis laude obſidentiũ caſtris; vbi cõcauis ex ære pilis per aerem è majoribus tormentis in vrbẽ vibratis, quod nuſquã auditum erat, opidanis annonã tranſferri poſſe credebatur. vbi obſidentes altera caſtrametatione ab auxiliaribus cincti, diu obſesſi, & annona intercluſi fuere. donec vrbe tandẽ fame domita, omniq. repulſo Hiſpanorũ auxilio, Chriſtina cum filio non ſolùm eſt in regiæ, & ditionum poſſesſionem ex inte-

An. 1640.

gro

gro restituta; sed mox per optatã cũ Leuiris Sabaudiæ principibus cõcordiã populis,& affinibus ex voto cõciliata. Cæterũ quò lõgiùs progredimur(Viri Academici)eò plura nobis occurrunt Armandi facinora,quorũ & omniũ multitudo,& singulorũ magnitudo cum temporis immensitate decertat. quicquid à Matrona ad Mosellam interjacet,septiduo occupat. Danuileriũ vltra Mosam Gallis acquirit; Hedinũ in Belgio ab Hispanis repetit; Monęcum cũ Italis regi cõciliat; in Germania Guebriano prætore victorias Ludouico serit; in Hispania tot arcibus deditis, immortales eidem triumphos parat; vt certò præuideant Orbis gẽtes cũctorum moderatricẽ Galliã,vnũque in medio Armandi virtutum choro Ludouicũ de Terrarũ Orbe gloriosè triumphare. Iam in Galliã fremat rebellis audacia, debacchetur omnis impietas; mordeat æmulæ potentiæ liuor; sæuiãt fata, armentur sidera; nihil aliud aget fortuna vecors Armãdi virtuti objecta, quàm vt Ludouici gloriæ addat majora lumina; quia solida est Armandi sapientia,tres à Minerua Iouis oculos assecuta,quibus præsens,præteritũ, & futura videt.

nec ideo poſsit, niſi ſumma cũ æquitate juſtitiæ lances verſare; niſi sũma cũ integritate cõſilia Ludouico ſuggerere; cũctaq. niſi cũ ſingulari prudẽtia operari. Si ſtruat inuidia calamitatũ labyrinthos, nouit eas ingredi, & egredi optimè reuoluto ſapiẽtiæ filo. ſi Neptunus intumeſcat calumniarũ procellis; ijs irarũ fluctibus ad Cœlũ Armandus ſtellis coronãdus ęxtollitur. Si Iuno Alcidi jurgia ferat, mõſtraq. in dies obijciat; virtuti heroicæ altaria erigũtur, in quibus Armãdi ſapiẽtia per oẽs ætates coronatis in encomiorũ victimis adorabitur. cum eo decertet nemo, niſi velit, vt Marſyas cũ Apolline nudis viſceribus relinqui. audeat nemo hãc ſubire aleã, vel ſi audeat, aut fata cogitet, aut fugã interponat. eſt enim Armãdus SVSANNÆ, hoc eſt lilij filius, cuius odore ſerpentes, vel fugantur, vel necantur. ſed juuat hic eius imaginẽ, quam tot hactenus heroicarùm actionũ ductibus delineauimus, pietatis cyanæo abſoluere; hæc enim ſola diuinæ virtutis ſpeciẽ animo ſapientis imprimens facit eũ bonorum prodigia operari; quia in eo Deus operatur. facit eum ſupra omnes extolli; quòd per eã ſapiens cæteris major, ſoli Deo

minr

minor agnoſcatur, verè fuit Armandus luci-
disſimus Galliæ Oſiris,qui rebellionis hæreti-
cæ Typhonem occidens,ſacrilegorum altariũ
euerſione proſtitutam Dei gloriam reparauit;
Iurè ſuum Gallia prædicat Apollinem,qui di-
uinis virtutum radijs Caluiniſmi Pythonem,
confecit;cuius afflatu peſtilenti vbiq. penè lę-
thaliter vulnerata cõtabeſcebat.qui ſuperbos
regni Briareos,reſtituto ſedi Romanæ cultu,
Ludouici fulmine attriuit. rara æui felicitas;
heic sãctimonia,quæ mẽtes hominũ humanis
abſtrahit curis ſe publicæ rei compendijs alli-
gauit. heic religioſa pietas ſagacitati politicæ
maritata Ludouicum facit æquè pium,ac for-
tem,juſtum perinde,ac prudẽtem.harum vir-
tutum indiſſolubili vinculo fit ſuperis juxtà,
& mortalibus gratisſimus;in quem ideo, vt in
Eccleſiæ primogenitum Deus tam liberalem
effudit gratiam;vt quoties Euchiarſtiæ ſacra-
mento munitus ſtrumoſos tetigit;toties lan-
guidis ſalutem reſtituerit, morboque, cui re-
medium natura negat, ex ægri voto dederit
curam.cuius rei publicum vobis eſt, & illu-
ſtre in vrbe veſtra(Viri Bononienſes)exem-
plum. ad hanc metam neceſſum eſt hæreat

impius,

impius, succumbat improbus, Regis optimi, pijssimique gloriæ meritas audens delibare laudes. sed videamus, quæ pro religionis subsidio, fideique dignitate purpuratus Galliæ Perseus in omnes terrarum oras, quà Sol aperit, conditque diem, pietatis Pegaso transuexit Catholicæ religionis ornamenta. Si Belgium ingredior, studiosè curat Armandus in prouincijs fœderatis, quæ subjacent Batauorũ imperio, ne catholici quid in auito religionis ritu detrimenti capiant. si Germaniam assequor, dum à rege Gustauo Suecorum armis vexaretur, per legatos Galliæ solicitè cauit vbique Christi fidẽ è Romanæ sedis præscripto sartam, tectam esse. si Muscouiam, vltimas ad Boreã schismate Græcorũ pollutas gentes penetrare licet; testantur Michaelis Feodrouitzij magni Ducis ad regem Ludouicũ litteræ, quas retulit nouissimè è sua legatione Curmeninus in hoc vastissimo imperio per Armandum religionis catholicæ apertam professioni viam, concessa sacerdotibus Gallis eã vbique profitendi libertate. si nos in Africam cõuertamus, quæ tãta iampridem sanctitate floruit; nunc Mahumetis, & Cophita-

Dat. in vrbe Regia Mosc. 12. Nouemb. An. 7138.

tarum vepribus squallida, qua solicitudine curet Armandus crebris religiosorum Francorum missionibus, tot illic redimi captiuos, tot oppressis Christianis subsidia dari; testis est Romæ sacra de fide propaganda congregatio. Si lustrare lubeat Americam nostrorum memoria repertum Orbem, occurrunt Canedanæ anniuersariæ missiones, per quas Armandus ferinis incolis Idololatriæ deditis religionis cultũ feliciter transmittit. Nihil est Europæis Christianis imperio Turcico hostilius; at postulatã per legatũ Christianissimi nostræ fidei cultus libertatem, quà latè pateret Othomanica ditio, Imperiali diplomate Armãdus obtinuit: nõ hic repeto Vulturenos ea cõditione Rhœtis subjectos, ne quę præter catholicã in ea valle colatur religio. languerẽt in magna Britannia vltimæ fidei scintillæ, quas in dies Puritanorum nebulæ opprimebant, at mox inito cum Carolo rege matrimonij fœdere, nõ solũ Reginæ data est Catholico ritu viuendi liberrima facultas, Episcopo ipsi attributo, & in familiam adscitis vndeuiginti Sacerdotibus, sed omnibus indigenis catholicis est impetrata regia edictali lege toto regno secu-

ritas. vt iam innocenti Ecclesiæ non tam pacem, quàm propagationem ex optimæ reginę voto imposterum futuram speremus. Quid demum non egit cum LVDOVICO Pijssimus ARMANDVS, vt procellosos belli turbines, à quibus erat Europæ scena cognato sanguine (proh nefas) cruentanda, solicitis ad VRBANVM legationibus auerteret. ponet ARMANDVS VRBANI minister ad pedes Domini vestras, ò Reges, vltrices curas, vosque tandem sublatis diffidentiæ flabris ad firma, fidaque æternæ pacis fœdera reuocabit; solus enim in hoc turbulento mari è secretorum Regum aduersarijs penetrat syrtes, & scopulos, quos opus est ad hunc portum nauigantibus enatare; habet etiam Armandus, qui per summam prudentiam heroicè operatur, ex amore Platonico Gratiarum Panchreston, quo probe Reges ipsos in amorem sui, & admirationem rapit. habet augustissimam formam, virtutum par domicilium, qua fit omnibus æquè gratiosus, ac venerabilis. Vultum ei Iuppiter sereni decoris grauitate renidentem fecit, frontem Minerua tinxit regni curis, & in eo

morum Iosephi sanctitatẽ expresſit;in ſuperciliјs Dauidis temperatam ſingulari manſuetudine grauitatem gerit;in capillis Sampſonis cõſtantiã;in oculis ſiderũ inſtar viuido ſplendore rutilantibus Salomonis ſapientiam ; in genis roſeo decore pubẽtibus Phocionis probitatẽ ; in naſo aſſurgente clemẽter à medio, & in Aquilinam formam deſinẽte Cyri magnanimitatem;in anguſto ore Scipionis Africani temperantiam; in flammeis labris Periclis eloquentiam;in auribus immenſam Cæſaris memoriæ capacitatem;in barba venerabilem Catonis ſeueritatem; in ceruice infractum Herculis robur;in pectore recoctam Vlyſsis prudentiam; in manibus Mercurij virgam;in ſermone Palladis ſapientiam;in gradu Deitatis inſeſſum;in ornatu sãctitatis paludamentũ, quale Eccleſiæ Romanæ protomyſtã decet; toto denique corpore retinet Augusti per omnes ætates excellentis formę vigorem; tale eſt ſublimisſimi Genij,quo majorem nulla vidit ætas,hoſpitium ; Is ſpiritus immenſi thronus, qui quò magis negotiorũ mole premitur, eò fortior ex onere vt palma aſſurgat, animo ſoſpitatore vires ei cõtinuas ſufficiẽte.

Meditabatur hoc ſæculo gloria in excelſo virtutis theatro collocare imaginẽ,quæ ex omni abſolutæ humanitatis exemplari,in vnius Herois effigiem transfuſa,diuinitatem æmularetur. & oppidò ad hoc præclarum opus abſoluendum congruam præcæteris obſeruat vnius Armandi formam,atque vt ſub aſpectum caderet ornatus,qui de hoſpitis conditioni non tã conijceret, quàm judicaret honorem inter primos quæſitũ ſibi voluit adiutorẽ, qui ſingulas picturæ partes ad viuum rudiori graphide delinearet, quarum vacua mox ipſa ſapientiæ plenitudine adimpleret ; ſed quia principes penicilli ductus excelſas Armandi curas orbi debebant explicare, huic muneri ſagacem applicat famam, quæ cyanæo prudentiæ vltimam manum imagini imponit.

Iamq.ad illuſtre mortaliũ ſpectaculum ſuam ſiſtebat Iconem gloria multiplici opere,qualis erat olim ſacerdotis Iudæorũ veſtis,variegatã, vt exẽplo veritas meliorẽ labori partẽ æmulata intercesſit,quæ vitale robur imagini, heroicarũ actionum ſpiritibus animatæ, inſpirauit. Cæterum picturæ ſic abſolutis glorię lineamẽtis feliciter expreſſæ inuidit ſors liuo-

re

re plena, & Erebo ſubreptas humanarũ omnium calamitatum tenebras, quibus obſcuraretur, in eam effudit non vidit inſana, quam obliuionis caligine ſepultam vellet, illuſtriorem emerſiſſe; etenim quæ deerant, picturæ vmbras adjunxit, quibus Orbi vniuerſo ſpectabiliori ſoliditate comparuit. talem ſapientia aſpectum, vt ſuam formam mortalium oculis ſpirantem exhiberet, ſub hac imagine à natura impetrauit; voluit à Pallade, relicto genarum rigore, quem in Græcia retinuerat, gratiarum Gallicarum venuſtatem indueret, qua ſibi apud omnes Armandus amorem ſimul, & reuerentiam conciliaret; edoctis hac arte Francis non minùs eſſe neceſſariam eius ingenij ferociam, qua ſit hoſtibus formidabilis; quàm genialis vultus amœnitatem, qua fiat omnibus adorabilis. ſunt etenim ei in ſublimi gradu collectæ animi dotes, quarum ſingulæ antiquis Heroibus magnorum operũ molitoribus ſplendorẽ adimunt. tanta viget in eo pietas, vt in media armorũ trepidatione ſacrificia non omittat; Terris felicitatẽ allaturus ſe priùs in conſortiũ Cœleſtium introducit; rerũ gerendarum rationes quæſitu-

rus, priùs cum Deo rerum omnium moderatore transigit ; hoc exemplo docens hodiernos principes, synceram pietatem primã esse regnorum felicitatis ansam. tanta prudentia, vt hac fida actionum duce, cùm nihil inconsultò agat, tum sibi cuncta prosperè succedãt; non obstant consilijs, vel præteritorũ aduersa, vel futurorum dubia; neque impedit laborum successus temporis diuersitas, cùm nec alius eius sit ingenij, quàm arbitrij terminus. tanta prouidentia, vt omnia temporum momenta certò conjectet, & instanti decursa venturis copulet in prosequẽdis bonis, cauendisque malis cuncta animo præuertat. tanta fides, vt cùm vni probari velit, solidum sibi ab vno omniũ assumat imperiũ; ea sola arte, quæ arcana dominationis bene latere jubet, ne si à fluxæ fidei Proteis euulgentur, rex optato rerum suarum euentu defraudetur. tanta justitia, vt huius virtutis ambitu gloriosum Ludouici imperium contineat; quo majus donum à Deo nõ habet princeps, quia per eam factus suo regno major, remotissimas terrarum gentes in amorem sui, & venerationem trahit. tanta fortitudo, vt intrepidi Leonis in-

ſtar,circunſtantia pericula deſpiciat,omneſq. cùm externos,tùm domeſticos aduerſæ fortunæ caſus , antequam exciperet , cogitatione perdomuerit . vidimus enim in eo,cùm omnium penè gentium hoſtes per Galliam armati volitarent, nullis auditam ſæculis animi fiduciam,qua cuncta conſilio,& manu(auſpice Cœlo)disſipauit,vt jam inaudita felicitate Ludouici virtuti nõ comitetur gloriæ immortalitas,ſed præcurrat.tanta conſtantia,vt nunquam in aduerſis æmulorum malitia concideriti nunquam aurigante ſapientia in tenebras ſuorum inimicorum perfidiæ fatales incurrerit. ea vigilantia, vt in conficiendis negotijs ſolidas noctes diebus interponat ; qui ſemper exercitus, & in ſe quodam orbe redeuntibus immēſarum rerum curis;nec tamen vnquam earum pondere fatigetur . ea celeritas,vt nunquam moretur,vbi feſtinandum eſt; nunquā feſtinet,vbi morandum;æquè in feſtinatione temeritatem;ac in mora cõſilij inopiā deteſtatus. ea magnanimitas,vt oēs virtutes, quoties operatur, faciat heroicas. ea manſuetudo , vt æmulis retulerit pro odio gratias, pro iniurijs beneficia,pro contumelijs honores . ea beni-

gnitas, vt omnes in matura grauitate ſingulari morum facilitate ſuſcipiat; non priuatorum deprimat amplexus, non infimorum reſpuat alloquia, nec eminentia magiſtratus humanitatis officia impediat; quiſque facilis eius adhæreat lateri, nemini è bonorum tribu ſui copiam recuſantis. ea animi moderatio, vt in ſummo fortunæ gradu, cùm omnia à Rege poſsideat; ſic retinet, quaſi nihil poſsideat, cuncta clemenriſsimi Regis bonitati accepta referens; talis in Republica, qualis domi; nõ mutante fortuna mores; dignus magiſtratu, quia ſic omnibus præeſt, vt tamẽ alijs ſubeſſe ſibi præſcribat. Is demum in litteratos amor, & beneficentia; vt cùm ſolus in Gallia

——triſtes hac tempeſtate Camœnas
Reſpiciat——————————

vnus earũ hodie Gallicus Muſagetes audiat; cuius æternitati jam tota litteratorum Reſpublica in obſequij fidem, deuotionis, & clientelæ teſſeram, vt ſuo tutelari numini aſsiduis librorum donarijs vota nuncupat, aras erigit, & appendit ſapiẽtiæ trophæa. cui peræq. ſcientiarum præſides Deæ ſuas ei perẽniter vernaturas in Helicone lauros LVDOVICI IV-

STI Palmis maritandas ex voto consecrarũt. Sed in tam speciosa corporis dignitate, quæ dotibus animi heroicis domicilium præbet, quo fato vacillat plerunque sanitas! cur ei solidæ valetudinis semina non inseuit Hygeeia; an quia membrorum debilitas arguit sapientiæ robur? vt ideo ingeniosè finxerit antiquitas non nisi securis vulnere Palladem è cerebro Iouis erupisse; quòd heroica sapientia obstetricantibus morbis, soloque valetudinis impendio suos partus in lucem edat. an verò quia per corporis ægritudines animus ad summa quæque liberior connittitur? fructusque sapientiæ vberrimos, quos ex optimo virtutis semine concepit ingenium, prosperæ sanitatis illecebræ corrumpant? non est ARMANDVS, cui sobrietas ad virtutem dux optima in omni ætate placuit, ex eorum classe, qui voluptatem per summam intemperantiam sanitatis compendio mercantur; qui semel, & frugaliter in die comedens mensarum delicijs corporis obterat vires; vel qui curarum omnium abdicatione, valetudinis curam metiatur; qualis ille ab Heraclide Pontico apud Plutarchum memoratus, qui

qui diutisſimè ſe vitam producturum ratus, ſi quàm longisſimè vitæ vſu caruiſſet. neſcit ARMANDVS ſuperuacua ſanitatis cura ſolicitus in ocio molleſcere, in gynæceis vſuram vitæ corrumpere, qui tam anxiè regni negotia curans vix ſibi quatuor noctis horas ex integro die ad quietem diſpenſet; qui velut indefeſſa vertigo rotans Cœleſtes orbes, continuatis pro ſalute publica negotijs jugiter exercetur; qui quocumque procedat LVDOVICVS ardente meridie, rigente gelu, adlatrante canicula, ſæuientibus ventis, decidentibus pluuijs, ſtrepentibus armis, nullo Cœli, ſoliq; diſcrimine ſine cũctatione ſemper ipſum comitari geſtiat. vanisſimos putat, qui Chaldæorum mãcipati delirijs, ſtellarũ plebẽ ſanitati ſuæ famulari faciunt; non opus aggrediendũ, non iter ſuſcipiendum rati, niſi priùs ſciſcitatis ſiderum oraculis; niſi benigno prçcedẽte Aſtrorũ lumine, quaſi honorario Ephœborũ ſatellitio; cœleſtẽ militiã humanis delirationibus excubare gloriosè mẽtiti. hybernas Alpiũ niues Italiã profecturus nõ exhorruit, procellas imbriũ, fluminũq. inundationes in Gallo-Belgio arces ab hoſte recuperaturus non timuit;

Regionum peſtilentes Auſtros Hiſpaniam trajecturus non formidauit,à quibus contracto nouiſsimè in Coſſetanorum confinijs exitioſi abſceſſus morbo, ſuas anxiè curas Cardinalis Mazzarinus feliciter mancipauit . at auſpicatò cum Hygeia in gratiam redijt , & ad votum valetudinis integritatem , cuius ergo jam omnes eramus ſoliciti, recuperauit. Sed hæc hactenus ſint eximia domi , militiæque patrata ,quæ vniuerſus Orbis admiratur , Maximi RICHELII facinora,digna,quæ litterarum beneficio,ad poſteros,vt imitentur perueniant. cæterùm cùm ſapientia LVDOVICO Armandum, vt Aquila pullum Soli expoſuit,ſic eius radios generoſa ſuſtinuit indoles,vt antiſtitis à Rege probata virtus, quòd par imperio foret , ea cæperit auctoritatis incrementa , quæ purpuratorum nemo ſæculis elapſis obtinere meruit. rapitur ad ſimilitudinem ſui excellens quæque natura , & qualem in cordibus naturæ conformitas vnionem imprimit; talem exprimit in voluntatibus amor ſympathiam. viuam ſui vidit Ideam in ARMANDI præcordijs LVDOVICVS ; ſenſit in eo ſpirare regni ſui fortunæ genium à quo tota penderet Galliæ felicitas; hunc ideo Aſtro- An. 1642.

Tyrannifcis Italiam liberauit Albornotius, qui Romano Pontifici Ioanni XXII. rationem adminiftrationis expofcenti plenam vrbium expugnatarum clauibus generosè carrucam expofuit. fub Iulio II. Francifc. Ximenes facræ trabeæ, fagique martialis ornamentum, qui totius Hifpaniæ adminiftrator electus terra, marique Mauros profligauit, Oranum eis eripuit, Tripolinque expugnauit. funt quidem bello juxta, & pace in religionis faftis æternùm memorandi præfules; haud tamen vllatenus cum ARMANDO conferendi. quid enim illa (Viri Academici) cum iftius innumeris trophæis, vt juftitia, & fortitudine celeberrimis, ita pietate, & religione fanctisfimis? fuperat eorũ omnia facinora vnius heterodoxæ rebellionis proftratio, quæ jactabat fe habere vires in Gallia quinquagies cũ potentisfimo Rege jufta acie præliandi; quæ ad fua pericula paratos obijciebat bellatores, fupra quadringenta millia; quibus trecentas in regno vrbes, arces, & munimenta inexpugnabilia ftruxerat ingeniofa ad tutelam perfidia; quibus ab inftructisfimis armamentarijs producebat necesfitas

mille, & quingentas ex ære majoris tormenti machinas, neq. deerāt eius obnoxij stipēdijs è primaria nobilitate duces; aderat par ærariū, & æqualis animus; quibus etiam Anglia, & Batauia, vt religione fœderatis, magnis per Oceanum clasſibus inuehebant auxilia; hæc omnia biennio penè cōfecit ARMANDI consilio Ludouicus. O Cardinalem supra inuidiam maximum! ò Richelium fauoris ætherei cōscium! Heroaq. vt sortis humanæ dominum, sic vno mortaliū ore in omni populo, & memoria prædicandum; qui tot in Vaticano palmas Christi cruci inseuit, quot victorias in Gallia LVDOVICI sceptro adiunxit. assurgite, Auditores, purpuratorum maximo; assurgite Viri Academici, Armādo, quia debetur eius heroicis operibus veneratio; quia dignus est diuinus ille genius auitæ religionis vindex, prostratę rebellionis auctor, insultantis Britanniæ scopulus, jactatæ Galliæ portus, oppressæ Italiæ columen, qui Persicis adoretur obsequijs. quē indulgentia Dei talē LVDOVICO obtulit, qualem exorata terris numina dare potuissent. nunquam obliuio eorum gratiam obducet, quæ in Regem, in pa-

triam in socios, in singulos inexhausto ARMANDI amore redundarunt; vna istorum obliteratio erit vnus humani generis occasus. Vos etiã Mnemosynes, & cœli filiæ Musæ cęlesti huic imagini vestrarũ doctarum frondiũ coronamēta attexite; firmata quippe est ARmandi virtute vestra quies; vobis est eius beneficio restitutum Heliconis decus, quod in æuo Bellonæ dedito armorum illuuie sordere videbatur. Vos omnis elegantiæ magistræ virgines IMAGINEM hanc, quæ virtutum heroicarum balsama vndique spirat, illinite cedro, auro cælate, amethistis æternitatis insculpite, eamque in loco locorum omnium dignitates supergresso collocate; vbi nihil in vitij caliginem coalescat; à quo facessat omnis humana colluuies, cunctaque imperturbata virtutis, & veritatis luce resplendeant; etenim in ea vera eminet, omni mortalitate detrita, sapientiæ species, & consummata intus adumbratur omnium artium, quibus in imperio gloriosè viuitur Pandora. permittite vos etiam (V.A.) qui me tot annos obsequiosum hospitem habuistis; in hac imagine natiuam vestræ tacitus deuelem, & admi-

rer Hermathenæ pulchritudinem, ipſius ſcilicet ſapientiæ ſimul, & eloquentiæ genium, qui meam hodie dum exſibilãdam vobis exponit infantiam, ſuos ad veniam in me flectit humanitatis radios; veſtroſq. ad Armãdi venerationem in ſe conuertit animos, noſtræ nunquam interituræ deuotionis obſides. demus ei GELATA pectora, quæ in adamantinam concreta tabulam indelebili charactere excipiant illius effigiem, ſupra omnes Aſtrorum orbes poſt caducam mortalium conditionem chriſtallinis ſedibus inſerendam. interim voti reus imperij Gallici æternitati litauero, ſi Armandi canitiem non annorum ſpacio, ſed curarum angoribus accerſitã vel prohibeant, vel retardent fata. ſi textricibus Parcis ſerò præſcindendam vitæ telam redordiri placuerit. Si flos integræ virilitatis, qui tam citò ſolet alijs emarcere, in eo robuſta viriditate perennet. Viuat itaque inter nos vegetus, venerabilis, glorioſus ARMANDVS, quem optimus quiſque jam publico præconio dignum cenſet, qui ſpatio non tranſmeabili vitam vltra Tithonios producat annos. viuat æternùm Galliæ ſoſpitator ARMANDVS; qui tot

heroi-

heroicarum virtutum exemplis Vaticani ordinis purpuram triumphis ornat æternitatis albo referendis.qui præclaris adeo ad veræ gloriæ contentionem incitamentis docet hodie generosas mortalium mentes, quàm recta ad honores grassari oporteat. Vel si genus humanũ semel interire sub naturæ decretis statutum est; postquam Armandus regum animos sancto religionis, & consanguineæ pietatis linimento emollierit; ac in æde Concordiæ Martis domitricem Venerem regijs copulauerit Hymenæis, quibus vt gratissima superis victima, ò quoties in Europæ scena placata est diuina Nemesis! ipse ad immortalitatis triumphum Nestore longæuior cœlo referat suam Lerneæ impietatis sanguine imbutam purpuram; solo relinquat suam nunquam interiturã, ob tot heroicas actiones IMAGINEM; quæ principum aulis sanctimoniã suggerat; Regum ministris veram proponat sapientiam; cunctis demum Orbis imperijs optimas, vt è Iouis Deiphthera recordetur politiæ leges. At in optimum ministrum vota, quæ fundimus, antequã vestra (V. A.) feliciter adspirans attẽtionis aura nos ad portũ orationis prouehat; ad IVSTI boni, magnique Regis fortunã transmitti decet;

pendet enim quadam fati lege, vt ab illius consilijs, sit ab istius auspicijs suprema imperij Gallici salus. viuat, & vigeat prolixa felicitate suorũ in votis populorum ter maximus LVDOVICVS; viuat, & cum eo diu, ac feliciter agat Franca pubes, aureum martiæ virtutis germẽ, vel pro eo, eiusq; incolumitate gloriosè cadat, viuat in periculis fortis, & cautus; in cõsilijs prouidus, & sagax; in armis potens; in victorijs inclytus; felix in regia, nec degenere sobole, mente excelsus, animo vegetus, corpore robustus, bello metuendus, pace venerandus. viuat, nec solùm in subditorum animis æternum sui amorem, cultumque imprimat; sed in omni terrarum angulo gestorum stupore mortaliũ linguas occupet; quæ gloriosis encomijs omnium ætatum silentia rupturæ LVDOVICI IVSTI memoriam supra annorum, & fati legem perennent.

D I X I.

Ter maximo Cardinali
ARMANDO PLESSISIO RICHELII DVCI.

DISTICHON.

ARMANDO in cunis Amor aurea detulit arma;
Sic erat ARMANDVS, qui bene amandus erat.

ALIVD.

PVrpura te vestit, qua nil preciosius Orbe;
Nec te majorem purpura sustinuit.

ANAGRAMMA.

ARMANDVS RICHELIEVS.
ADMIRANDVS HERCVLES,

SVstinet ARMANDVS dum IVSTI pondera, Franco
ADMIRANDVS adest HERCVLES imperio.

A.T. inter Gelatos ARDENS reuerentiæ causa assurgebat.

V. Don Octauianus Finatius in Metropol. Pœn.pro Eminentiſs. & Reuerendiſs.D.D.Prencipe Card. Columna Archiep. Bon.

Imprimatur

Fr.Dom.Manfred.pro Reuerendiſs.P.Inquiſit.



BONONIÆ, Typis Nicolai Tebaldini.
Superiorum Permiſsu 1642.

MOX
LVGVBRIS DE MORTE NVNTIVS
GELATORVM
Publicas lætitias confundit.

LVGE pullata ſurge, & plange GALLIA; jam omnibus è ferali ſuggeſtu intona ARMANDVM CARDINALEM PLESSISIVM RICHELII DVCEM, cui fata cedebant in tuã gloriam, fatis hodie conceſsiſſe. caſum,& cauſam hiſtorico ſtilo, vt miſsili telo compungamus; et jurè factum, ſi in atratis tam funeſtum diem repoſuerim. Nouiſsimè Perpiniano dedito ad Hiſpanos imperiũ LVDOVICI protulerat; receptoq. ſub idem tempus per Cardinalem Mazarinũ Sedano factioſis Galliç perniciem patriç molientibus fores occluſerat; quorum ſupplicijs docuerat Ludouicus ea ſancta humanum genus credere, quæ nimia impietate violarant. vigebat in ſumma apud omnes auctoritate, & vnus erat ARMANDVS inter magna-

tes Galliæ, vt inter Paſtores Daphnis. Sed ille vir mirabilium operum molitor, vnus ætatis noſtræ prodigium, omniumq; opinione termaximus Cardinalis miserę mortalitatis injurijs nimiùm obnoxius habebatur. quòd verò per Autumni temperiem aquarum Thermalium vſu ſanitatem recuperaſſe conſtanti fama diuulgaretur; tota ijs nuncijs exhilarata Gallia feſtiuis precibus thura numini ſuccendebat, vt firmam, et fidam ſoſpitator Deus ſeruaret **ARMANDO** valetudinē; at medullis intimis infixa febris lento morſu vitam corrodebat. proh naturæ ſæuientis iniquitatem! an ſublimem adeo ſpiritum tam fragili loculamento intercludj, & antequam ætatis vitio laboraret, è corpore diuellj? an ſatius terrarū ejectamenta lapillos aliquos, & gēmas ea duritie ſolidari, vt nec ferro domentur, nec vetuſtate deficiant? obſiſtebat quidem fortis, & generoſus animus imbecillę naturæ defectui; neque deerant Æſculapij, ſiue de Hermetica, ſiue de Hippocratis familia, qui recluſos artis theſauros effundebant, vt mortalibus admirandum genium inuitis etiā fatis inter nos retinerent. Sed diui-

nus

nus ille ſpiritus, quaſi inter mortalia diu nimis peregrinatus eſſet, jam ardentiùs Cœlo, genus vnde ſuum deducebat, inhiare videbatur. Regem è Coſſetanis Pariſios reuocatum, vt nouiſsimæ conjurationis capita contereret, aſſequitur. cùmq; nomine, factiſq; vtramq; Solis domum impleuiſſet, vndiq; gratulabundi ad eum confluunt ciues, exteri, magnates; & procedentem fauſtiſsimis acclamationibus excipiunt, imperij Gallici tutelarem genium in eo verè fatentes hoſpitari. vbiq; locorum videre erat Galliam in ſalutem ARMANDI votorum flãmas ex amantiſsmis cordibus euentillare, & excitatis numini altaribus ad eius incolumitatem Cœleſtes flagrantiſsimis vrgere precibus. ſic immenſo ciuium amore, multaq; eorum veneratione, ſed nulla curarum requie, nullo laborum interſtitio fruebatur. corpus recurrentium aſsiduò negotiorum amplitudine ſubactum, fatis vrgentibus in ipſo ſenij limine labaſcebat; quinquageſimus quippe, & octauus annus ARMANDI vitę ſcenam implere cæperat. tentatur itaq; denuo tot inter popularium lætitias tenuis illius ſanitatis habitus recrudeſcentis morbi violẽtia;

cũ tẽpore mirabiles explicabũt,à quibus Ludouicus cũ apud ſuos amorẽ, & metum;tũ apud exteros auctoritatẽ,& nomen feriò retinebit.per hæc ſecreta ad Regẽ monita integerrimũ miniſtrũ, quo majorem nulla vidit ætas,è viuis excedere decuit; vt vitã naturæ debitam virtuti redderet. Deo miſeratori extremas obtulit cogitationes ſolùm in animæ curam,patriæ ſalutem, regiſq; gloriã intentus;quaſi ſolus inter magnates Galliæ de tuenda religionis,& regni majeſtate excubaſſet. at teſtamento condito, vt mortalitatem par ſuperis exueret,ſuæ gloriæ indemnitati conſulit,auguſtos labores ad vnius regis cõmodũ collineaſſe profeſſus.tot auri cẽtenũ millenariorum denarios, quos de parſimonia adminiſtrationũ collegerat,cum ædibusCardinalitijs Ludouico legat aſſerũt in sãctioris ærarij gazis poſt mortẽ reperta decies ſexagies cẽtena millia frãcorũ. Bibliothecã quinquagies mille.aureorũ pretij Delphino donat.Card.Mazarino de ſacerdotali cenſu annuum duodecies mille aureorum reditum. ex ſorore nepti cẽtũ milliũ aureorũ vectigal. Breſſeum,& Pontecorlçum nepotes,alterum

in Richelij, alterum in Fronsaci ducatus hæredes instituit. Seguierium testamenti curatorem cũ Chauignio,& Noyersio regis à sanctioribus commentarijs nuncupat. in Sorbona, vbi regio funere parentatum, corpus inhumari iubet. cætera testamẽti, quorum vnumquodque pietatem Armandi luculẽter testatur, referremus, nisi à rebus notissimis abstinere nobis decretum foret. properabat excessus hora. (fortè animos vestros V.A. exulcerabo commemoratione transitus) solidos dies, noctesq. sine somno vi morbi egerat; ad soporem carotica propinarat, sed mox è tenui dormitione excitus exclamat; ecce me ò misericors Deus! ad præstitutã exactæ vitæ horam; tuis citatus libellis tributum, quod imperas jã jam lubẽs repræsento. his dictis trino singultu pridie Nonas Decemb. spiritum emittit. ò casum lamentis omnibus majorem! ò jacturam Ludouico incomparabilem! ò Regni calamitatẽ omnes calamitatis fines supergressam! quid etenim non debet ARMANDO Gallia? quid nõ Roma? quid nõ orbis christianus? quòd Religio Romanis sacris restituta vbique prouinciarum hodie vigeat; debetur

Armandi pietati. quòd rebellio toties in regē contumax, post tot victorias terra, mariq; partas, tot arces expugnatas, prostrata exciderit, debetur Armandi sapiētiæ. quòd à factiosis rerū turbatoribus grassante Marte, nō patuerit hostili direptioni patria, debetur Armandi Iustitiæ. quòd toto regno pax, quies, securitas, abundantia sub felicissimo Ludouici sceptro ad populorū vota vigeant; debetur Armandi vigilantiæ. quòd de socijs seruatis, hostibus exactis, perduellibus elusis Rex toties gloriosè triumpharit, debetur Armandi prudentiæ. quòd regni limitibus vndiq; productis herorū fortissimus audiat Ludouicus, debetur Armandi fortitudini. quòd hodie demum Gallia omnium gentium moribus, & disciplinis cultissima habeatur, debetur Armandi solertiæ, virtuti, sapientiæ. reddat ei gratitudinis hostimentum; memoriæ gratiam paret, non in aris, statuis, obeliscis, quorū fragili fundamento non bene adstruitur heroico nomini perennitas; sed in animis popularium, in annalium monumentis ære perennioribus, quæ fatis omnibus majorem supra temporum ætates æternent ARMANDI gloriam.